Facta mihi scribendi potestate non melius uti me posse arbitror, quam si, quae transacto hoc anno primae classis discipulis explicavi, retractans, ut ea et clarius perspiciant et firmius teneant, una quasi tabula proponam. Et profecto, sive res, quibus gravius, sive verba spectamus, quibus dulcius nihil potest cogitari, dignissimus est ille Platonis dialogus, qui Phaedonis Elidensis nomine inscribitur, quem legant juvenes et relegant, cui, dum totus inhaereat in animis, quotidie assideant. Sed non ita interpretis et critici partes agere mihi in animo est, ut aut Platonis decreta examinem, num probabilia sint, et quomodo cum illis cohaereant, quae ante eum de animorum immortalitate et post usque ad nostram aetatem sint docta, aut singula num Platone digna et quomodo scribenda sint, inquiram. Neque enim tantum hae pagellae sibi arrogant, ut doctos docere velint viros, sed juvenibus prodesse cupiunt, qui, si in scholis contigerit, ut libri Platonici tum argumento gravissimo ad philosophiae studium et amorem inflammati tum orationis genere simplicissimo ac venustissimo ad id imitandum invitati sint, satis duxerim me esse consequutum. Verum quum discentibus modo ipsa verba modo sententiae singulae tam multas afferant difficultates, ut qui has omnes dilucide expediverit, munere suo perfunctus habendus sit praeceptor, nunc de ea re, cui hanc ipsam ob causam illic minus locus est, disputaturus et *quanta arte* liber ille compositus sit uno neque intermisso tenore ostensurus, fore spero, ut juvenibus haec legentibus totus liber sub uno adspectu ante oculos collocetur revoceturque in memoriam.

Sunt autem tria, ni fallor, in quibus ars potissimum conspicitur, quae efficiunt, ut opus aliquod hominum manu et ingenio factum pulchrum esse sentiamus. Ac primum quidem species quaedam singularis et aeterna, quam Graeci nominant *ideam*, expressa sit oportet, cujus quasi imago et exemplar opere ipso reddatur atque sive coloribus sive concentibus musicis sive versibus sive oratione designetur. Tum ad hanc omnia, ut ad finem suum, referri, *huic omnes*, quotquot sunt et quam variae, *partes convenire debent et consonare eaque in unum conjungi*, ut quod nihil valeat ad eam illustrandam, etiamsi per se sit pulcherrimum, supervacaneum sit putandum et nudum ornamentum. Deinde vero etiam requiritur, ut *hae partes scite suo quaeque loco disponantur*, incitantes semper rapientesque ad progrediendum et rem altius perspiciendam, neque priusquam totum absolvatur dimittentes.

Quod si vere statuo, non mirum est, si tanto opere nos delectant animosque nostros alliciunt dialogi Platonici, qui quum quotidiani sermonis imitationem simulent, hac tamen re ab eo differunt, quod non passim vagari cogitata nostra patiuntur sed uni ideae effingendae ita inserviunt, ut disputatio instituta, tot interjectis degressionibus, non intermittatur sed optime procedat. Quae laus nescio an nulli magis tribuenda sit quam Phaedoni, in quo quanta sit actionis ars, omnibus semper admirationi fuit.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Nam primum qui rem diligenter perpendit dubitare nequit, quin id unum auctor voluerit probare, *sapientissimo cuique viro persuasissimum esse, non interire animas,* quod qui non firmissimis possit tueri argumentis, eum procul abesse a vera sapientiae laude (quod utinamne pectore excidisset recentiorum quorundam, qui prae ceteris sapere se putant!) ideoque totam philosophi vitam commentationem esse mortis sive animae ex corporis vinculis liberationis (τῷ ὄντι ἄρα οἱ ὀρθῶς φιλοσοφοῦντες ἀποθνήσκειν μελετῶσι pag. 67 E.) Summam igitur totius disputationis non in eo consistere censeo, quod animi naturam immortalem edocemur, quod si statueremus, haud pauca inveniremus, quae commode possent abesse ideoque ut inutilia deberent condemnari. Sed Socratem videmus praesentem propositum, ut intelligamus, *qui verus sit existimandus philosophus.* Optima haec est ejus defensio contra aequalium suorum (et recentiorum) criminationes, quum morituri Socratis sermones et celebrata illa, quae ne morientem quidem defecit, animi tranquillitas, neminem unquam hominum exstitisse meliorem, prudentiorem, justiorem, (quae sunt extrema dialogi verba) non minus legentibus nobis quam amicis istis eum coram videntibus et audientibus persuadeant. Ita Phaedone expletur, quod deest Apologiae. Ibi enim Socrates se optima spe ad inferos esse descensurum affirmat, cui persuasum sit, bono viro, cujus res deis cordi essent, neque viventi, neque mortuo malum unquam ullum accidere posse (pag. 41 C.); hic eundem aequo animo et hilari vultu videmus morientem, ut neque tum eum magnifice se jactavisse cognoscamus. Item hic exprimitur et absolvitur Socratis imago in Symposio tam diligenter adumbrata, ut inde jam alii putaverint quae in Aristophanis Nubibus vera sint, quae depravata, quae prorsus ficta optime posse judicari. Nam in Symposio virum reperimus vegetum, florentem, inter amicorum pocula jocantem, in Phaedone senem quidem supremum diem obeuntem, nihilo tamen minus omnibus sensibus virentem et plane non ab illo diversum, quippe qui per totam suam vitam, in jocis et in seriis, coram judicibus et in palaestra, philosophus et miles, in conviviis et moribundus sibi semper constiterit, eundem semper vultum ostenderit eandemque frontem. In Symposio amore se profitetur pulchritudinis sincerae, nulla corporis contagione infectae, simplicis et divinae (pag. 211 E. et quae antecedunt) adductum ac permotum esse et ad pulcherrimorum hominum amorem, quos sermonibus meliores reddere, quibus, quod hoc uno modo fieri possit, prodesse contendat, et ad studium illud verae virtutis in semet ipso inque aliis procreandae; in Phaedone autem exponit, quibus impulsus argumentis exstare tale quid simplex, immutabile, aeternum, animamque humanam ejus esse participem credat. Itaque non possum non suffragari Schleiermachero, summam Phaedoni cum Symposio intercedere necessitudinem confirmanti (modo ne quid inde de temporibus, quibus libri scripti sint, concludatur. [1]) In utroque enim, ut recte ille dicit, depingitur viri sapientis indefessum et laetum investigandi veri et cum aliis disserendi studium, periculi contemtio, firma in res externas dominatio, morum integritas, interna mentis divinitas festivae hilaritati conjuncta, absoluta denique corporis animique et totius vitae perfectio. Haec autem omnia in Socrate fuisse ut Plato ostenderet non fortuito accidit, quia quaestio de animorum immortalitate aptissima erat, quae a viro morituro sic affecto haberetur; sed potius quum fuisse eum sapientem usque ad extremum diem vellet probare, sua sponte illa quaestio se obtulit. Nam

1.) De qua re nihil omnino certi effici posse existimo. Stallbaumius quidem Phaedonem cum Apologia et Critone conjungendum neque multo post Socratis obitum a Platone scriptum esse putat. Et certe defensio Socratis tribus his dialogis fere perficitur. At non solum doctrina ipsa, quae nullo pacto e Socratis ingenio potuit emanare, verum etiam artificiosissima libri compositio impedire videtur, quominus Platonem admodum adolescentem eum conscripsisse judicemus.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

quum sapientia in eum solum cadat, qui et verum ne dicam noverit at nosse enixe studet et recte agit, *nemo erit sapiens nisi qui animam exstingui non posse habeat persuasum.* Id hac fere argumentatione jam in prima dialogi parte demonstratur. Dum corporis vinculis anima obstringitur et carcere quasi includitur, non solum, ut morbos doloresque taceamus, tum curae illae de corporis victu, cultu et ornatu suscipiendae tum variae habendi et fruendi cupiditates huc atque illuc torquentes et flectentes, unde tot tantaque excitantur bella, seditiones, odia, continuo nos prohibent, quominus animi studiis vacemus, sed ne sublatis quidem his omnibus impedimentis prae corporis sensibus, qui soli sunt atque iidem fallaces interpretes et nuntii rerum, expeditum ad veritatem habemus aditum. His enim nunquam non inducimur in fraudem, nec nisi oculis opertis clausisque auribus interno, ut ita dicam, visui lumen accenditur, quo veram rerum naturam inspicere possit et cognoscere. Quam ob rem vir sapiens, tamquam in semet ipsum collectus et demersus (*αὐτὸς καθ' αὑτὸν γενόμενος*) ipsa per se pura mente utens ipsum per se purum quodque arripere conatur (*αὐτῇ καθ' αὑτὴν εἰλικρινεῖ τῇ διανοίᾳ χρώμενος αὐτὸ καθ' αὑτὸ εἰλικρινὲς ἕκαστον θηρεύειν τῶν ὄντων* pag. 66 A.), omni repudiata corporis opera ac societate. Sed quum ejus communione non prorsus possit liberari, omnem omnino scientiae percipiendae spem cogeretur abjicere, nisi post mortem se eam habiturum esse speraret. Sin autem nè tum quidem eam sibi fore crederet, etiam studio illo vano atque inutili se abdicaret. *Igitur veritati studere nequit, qui animam aeternam esse negat.* Porro si quis post mortem nihil sui reliquum futurum putat, is facere non potest, quin eam metuat. Qui metuit non fortis esse potest. Nam si quando periculum acriter propulsat, tum ne vitam exuat i. e. propter ignaviam fortis est. Idem quum post mortem de se actum iri opinetur, vitae jucunditate quam maxime frui volet, ac si quando abstinentem se exhibet et libidinem continet, id eo tantum facit consilio, ne majore privetur delectatione, utque diutius ea fruatur, ergo incontinentia ductus continens est. Haec autem non virtus nominanda est, sed voluptatis cum voluptate, aegritudinis cum aegritudine, timoris cum timore permutatio quaedam turpissima (pag. 69 A.). Contra sapienti honeste vivendi una illa est causa, quod corporis fugit contagionem animamque ab ea vult sevocari, non quod rei familiaris vel vulgi existimationis timet jacturam (pag. 82 C.). *Igitur honeste vivere nequit, qui animam aeternam esse negat.* Intelligitur etiam, ea non eodem sensu dicta esse, quo Cicero inhaerere ait in mentibus quasi saeculorum quoddam augurium futurorum, idque in maximis ingeniis altissimisque animis et existere maxime et apparere facillime, quo quidem demto nemo esset tam amens, qui semper in laboribus et periculis viveret. Nam non id timuit Socrates (incuriosus, quid de se judicarent homines, saepenumero perperam judicantes Crit. pag. 46 C. sqq.), ne iisdem finibus nomen suum, quibus vita, terminaretur, sed vitam suam speravit commemoratione posteritatis longe diutius esse mansuram. Nec gloriae flagitavit neque ullam aliam virtutum et meritorum mercedem, qualem multi sibi fore fingunt in sedibus beatorum. Sermo quidem infra (pag. 113 et 114.) est de poenis malorum et praemiis bonorum hominum. Sed, ne illud nimis urgeam, fabulam ibi narrari, impii aliquamdiu pro magnitudine peccatorum in locis terrenis retineri dicuntur, pii autem ex corporis vinculis soluti in sublime ferri et puram supra terram habitare regionem, quo transcendere pulchrum Socrati videbatur praemium et spes ingens. Ejus unius ibi se participem futurum esse credidit, cujus jam hic cupidus et amans fuisset — scientiae (*τότε ἡμῖν ἔσται, οὗ ἐπιθυμοῦμεν τε καὶ φαμεν ἐρασταὶ εἶναι — φρονήσεως* pag. 66 E.). Hac de causa nihil antiquius hic habuit, quam ut animam, exornatam non alieno sed proprio sibi ornatu, temperantia et justitia et fortitudine et libertate et veritate (pag. 114 E.), purgaret quam maxime et secerneret a corpore. Ita enim, dicit, affecta ad sui simile abibit, quod cerni non potest, quod divinum, immortale et

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

sapiens est, ubi, postquam advenit, continget ei beatae esse, errore et amentia et metu et saevis libidinibus et caeteris malis humanis solutae, atque, ut dicitur de initiatis, revera reliquum tempus cum diis aget. (pag. 81 A.)

Alia est quaestio, num huic Socrati, quem discipulus, gratissimo animo amici nomen usque prosequutus, exemplar sapientiae proposuit, illum respondisse putemus Atheniensem a judicibus capitis damnatum nec ne. Equidem ad priorem sententiam eo etiam adducor, quod tanta veritas in nostro dialogo inest, quae vix ab aliquo potuerit simulari. Non dubito, quin ejus morti interfuerint illi, quos nominatim Plato affert. Hos omnes, quum morientem eum vidissent, ea cepit admiratio, quae jam antea ceperat Platonem et Xenophontem, qui morti quidem Socratis non interfuerant, sed superiori tempore intenti semper ab ejus ore pependerant disciplinamque imbiberant, ut quidquid ipsi philosophia praestarent, quidquid in se haberent judicii ac virtutis, ad illum solum conferrent, tanta mortuum laude cumularent, ut ea viventis gloriam longe antecederet. Itaque pro explorato habeo, eum tam tranquille et fortiter obiisse, ut in Phaedone legimus. Qui vero ita mortuus sit, ei non immerito ab oraculo Delphico nomen sapientissimi Graecorum inditum esse, nemo erit, qui neget. [2]) Sed utut id est, nihil pertinet ad dijudicandum Platonis consilium. Pinxit ille nobis virum, quem quo nomine appelles nihil interest, at certe sapientem, quo sapientiorem vix invenias; *simulque jure*, ut monstravimus, *suo doctrinam adnexuit de anima.* Nec magis interest nostra, utrum a Socrate illa profecta sit doctrina an a Platone, qui non modo quae ab illo didicit, sed quidquid aliunde petivit aut ipse excogitavit, ad eum solum referebat.

2.) Paucis his verbis Forchhammeri refelli et redargui posse opinionem (non novam illam quidem sed jam ab Hegelio, etsi cautius et decentius, pronunciatam) nolim affirmare. Sed in hujus libello, cujus in quavis fere pagina occurrunt sententiae, omnem fidem historicam excedentes, id modo verum est, Socratem et de rebus divinis rectius et de re publica aliter judicavisse quam suos aequales. Tantum vero eum in philosophia processisse, ut unum deum adoraret, non minus abhorret ab omni ratione probabili, quam studuisse novis rebus et ut vim patriae inferrent discipuli effecisse. Tale quid judicibus persuasum fuisse, certum est, quod nisi fuisset, nec potuissent nec voluissent eum condemnare. Sed falsi erant; et Socratis si qua fuit culpa, haec fuit, quod suae causae non bene in judicio patrocinatus est. Non sibi quidem nocuit, cujus ut diutius viveret nihil referret, sed ne tantum facinus in se admitterent Athenienses et potuit prohibere et debuit. Injustissime vero fecit Forchhammerus, quod primum neque Platonis de Socrate neque Aristophanis de democratia neque Thucydidis de Alcibiade aliisque factionum principibus neque Lysiae de Thrasybulo judicantium ullam habuit rationem, deinde autem Xenophontis verba non semel perverse ac subdole interpretatus est. Ita ubi Xenophon (Mem. Socr. I. 2, 48.) omnes ait discipulos, exceptis duntaxat Alcibiade et Critia, in Socratis se dedisse consuetudinem, *ἵνα καλοί τε κἀγαθοὶ γενόμενοι καὶ οἴκῳ καὶ οἰκέταις καὶ οἰκείοις καὶ φίλοις καὶ πόλει καὶ πολίταις δύναιντο καλῶς χρῆσθαι*, vertit ille: ut pulchri bonique facti ex domo et cet. *quam maximum fructum capere possent*; et inde effici vult, Socratem ita juvenes instituisse, ut ad suam omnia referrent utilitatem, nihil omnino non facerent causa sua. Sed tantum abfuit, ut talia doceret, ut hortaretur assidue, ipsi studerent aliis hominibus commoda afferre (ibid. §. 55.): *καὶ παρεκάλει ἐπιμελεῖσθαι τοῦ ὡς φρονιμώτατον εἶναι καὶ ὠφελιμώτατον, ὅπως, ἐάν τε ὑπὸ πατρὸς ἐάν τε ὑπὸ ἀδελφοῦ ἐάν τε ὑπ' ἄλλου τινὸς βούληται τιμᾶσθαι, μὴ τῷ οἰκεῖος εἶναι πιστεύων, ἀμελῇ, ἀλλὰ πειρᾶται, ὑφ' ὧν ἂν βούλοιτο τιμᾶσθαι, τούτοις ὠφέλιμος εἶναι.* Aeque falso Proxenum refert scripsisse Xenophonti, veniret ad Cyrum, *qui* ***ei*** *plus sit profuturus quam patria*, quum in Anabasi (III. 1, 4.) haec legantur: *ὑπεσχνεῖτο δὲ αὐτῷ, εἰ ἔλθοι, φίλον αὐτὸν Κύρῳ ποιήσειν, ὃν αὐτὸς ἔφη κρείττω ἑαυτῷ* (Proxeno) *νομίζειν τῆς πατρίδος.* Similia permulta inveniuntur summae temeritatis signa, cujus quem non pudet, ei nihil negotii est, virum innocentissimum, civem optimum maximorum criminum, deorum contemtionis et laesae majestatis, reum facere.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Quamquam, quod supra attigi, paucissima puto Socrati deberi, plura Pythagorae, ut illa quae de migratione animorum dicuntur (quam ob rem et Philolai mentio facta et Cebeti Simmiaeque primae disputandi partes datae), plurima Platoni, ut tota illa quae de ideis instituitur quaestio. *Ars* autem, ut jam ad propositum revertar, *in ordine potissimum apparet*, quo argumenta disponuntur, quae immortalem animam esse confirmant. *Ita enim se gradatim excipiunt, ut succedens quodque expleat illud, quod antecesserit, remque subtilius comprobet, et quum arctissime cohaereant, sejungantur tamen locis interjectis iis, qui sapientiae vim et naturam explicent.* Quod ut patefiat, nunc singulas, quam brevissime potero, percensebo dialogi partes.

Omnis autem disputatio, si epilogum excipiamus, duas habet partes, et longitudine (I. pag. 58 — 84 C. II. — 107 C.) et membrorum divisione ferme aequales. Priorem a duplici exordio (a. — 59 C. b. — 63 B.) incipientem subsequitur 1. locus (— 69 E.) ubi de viri sapientis natura agitur et 2. tria argumenta pro animorum immortalitate (a. — 72 E. b. — 77 B. c. — 84 C.). Alterius partis initium capitur a duplici Simmiae (— 86 D.) et Cebetis (— 88 C.) oppositione, quae sequentibus exordio est, quare eam brevis quoque excipit Phaedonis narrantis et Echecratis interlocutio, et tum rursus 1. locus de sapientis natura (—91 C.) et 2. postquam Simmiae sententia refutata (— 95 A.) et judicium factum est de caeterorum philosophorum, quae originis rerum et interitus causam tractant, doctrinis, (— 99 E.) extremum sequitur et gravissimum pro immortalitate animorum argumentum (— 107 C.). In epilogo vero, qui et ipse bipartitus est, cum quid sapienti etsi non scire at certe sperare liceat exponitur (— 115 A.), tum quam praeclarum moriens Socrates veritatis disciplinae suae dederit testimonium docemur.

Prooemium igitur solemni fere more Platonico in duas partes divisum est, quarum in priore, magis externa, narratur, quam occasionem nactus Phaedo ultimos Socratis sermones cum amicis institutos communicaverit, simulque auctoris consilium aperte jam declaratur. Interrogatus enim ab Echecrate, *quae Socrates ante mortem locutus sit et quomodo decesserit*, Phaedo, cui illius meminisse semper omnium gratissimum est, beatum, ait, sibi virum istum visum esse, sive animi habitum sive sermones ejus respicienti, *cum tam intrepide et fortiter mortuus esset, ut neque ad inferos abiens sine divina providentia abire intelligeretur.* Id lectores quoque ut intelligerent, auctor voluit efficere. (Cap. 1. 2.)

In altera parte prooemii ducimur in carcerem ipsum, quo frequentes convenisse videmus amicos et populares et exteros [3]), et Socratem invenimus modo solutum, qui, postquam Xanthippen clamantem et plangentem pueri deduxerunt, in lecto se erigens et crus, cui vincula injecta fuerant, manu perfricans, quam mira est, inquit, illius, quod homines jucundum vocant, ratio ad illud, quod contrarium esse videtur, molestum; neutrum enim cum altero unquam simul nobis adesse vult, et tamen alterum semper ab altero excipitur; quod si Aesopus animum advertisset, fabulam composuisset, Jovem, cum vellet illa conciliare sibi pugnantia neque posset, conjunxisse eorum apices, ut ubi hoc finiretur illud initium caperet, et cui homini alterum adesset, paullo post subsequeretur et alterum, ut mihi ipsi nunc, quum propter vinculum in crure antea fuerit molestia, venit jam succedens jucunditas. Facta Aesopi mentione Cebes recordatur, se ab Eveno poëta interro-

3.) Omnia hic tam vivide et clare exprimuntur, ut, quod supra monui, nihil omnino ficti inesse appareat. Non igitur dubito, quin revera aegritudine impeditus Plato colloquio defuerit. Ac si quis Socrati, quod uxorem amoveri jussit (cujus facti causa infra pag. 117 D. affertur), crimini tribuit, supersedeo defensione atque hanc rem ipsam argumento habeo, a Platone non alios atque fuerint, neque meliores neque pejores, descriptos esse Socratis mores.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

gatum fuisse, quo consilio Socrates, quod antea non fecisset, ultimo hoc tempore in carmina facienda operam impendisset. Cui ille respondens, se jussui divino voluisse satisfacere, *nec quidquam artis musicae intactum relinquere, cujus in praecipuam partem, philosophiam, per totam vitam incubuerit,* id referri jubet Eveno et dici, ut valeret seque, si saperet, sequeretur quam celerrime. Quod votum quum mirentur auditores, ille, philosophus quidem, ait, nunquam sibi ipse mortem consciscet, neque vitae statione, ubi se ab optimis deis collocatum esse sciat, decedet, priusquam jussu deorum, imperatorum suorum, avocetur, nihilo tamen secius, quum mori melius esse quam vivere ei persuasum sit, cupiet mori. Sed id ipsum mirum videtur Simmiae et Cebeti et secum pugnans; nam si verum sit deos nostrae saluti consulere et nos esse eorum possessiones et servos, prudentis esse videri in optimi domini tutela manere quam eum fugere malle, quo meliorem tutorem nusquam sit nacturus; itaque neque Socratem recte facere, quod tam facile amicos relinquat et principes bonos, ut ipse fateatur, deos. (Cap. 3—7.)

Inde simpliciter transitur ad propositum. Rem enim suam Socrates veluti in judicio defensurus, spero, inquit, fore ut hinc ad alios homines eosque illis, qui hic sunt, meliores et ad deos sapientes migrem, dominos perquam bonos. Quam quid attulerit spem cum ex eo quaerant amici, ita pergit in ea parte disputationis, quam jam supra adhibui: Cum mortem esse dicamus *animi a corpore discessum ac solutionem,* ita ut duae hae partes in vita conjunctae post mortem seorsum per se existant, fatendum etiam est, philosophari nec quicquam esse quam emori discere. Nihili vere sapiens aestimat corporis, quotcunque et qualescunque sunt, voluptates; nihili facit ejus cultum atque ornatum; nihil ei prospicit; sed id agit, ut, quantum fieri possit, ab eo segregetur et ad animum se convertat. Operam igitur dat, ut discedat a corpore, ut moriatur; neque immerito vulgo eum putant non longe abesse a mortuorum conditione, ut qui nihil curet voluptates ex corpore hauriendas. Facit autem id suo jure; nam corpus summo impedimento est, si socius assumatur ad veri investigationem; neque ii ipsi sensus, qui nobilissimi et certissimi habentur, visus et auditus, nedum caeteri, qui recte minoris fiunt, ullam habent veritatem: ad illud vero, quod per se est bonum, justum, pulchrum, percipiendum adeo non adducunt, ut potius errorum omnium causae sint perpetuae. Quare tantummodo ubi ab omni corporis commercio remotus in semet ipsum i. e. in animum se receperit sapiens quodammodo ad spem veritatis erigi poterit. Sed totam illam hic se posse assequi, quum omni ex parte a corpore nequeat aufugere, non sperabit. Igitur alterutrum esse necesse est, ut aut nunquam scientiam deprehendat aut post mortem. Atque hoc fore sperans in vita se purgat quam maxime et cavet ne impura corporis natura impleatur, donec a deo ipso liberetur; mortem autem tantum abest ut timeat, ut summo ejus teneatur desiderio, et, quemadmodum defunctis mulieribus et liberis carissimis multi jam voluntarii ad mortem fuerunt profecturi, hac spe permoti, se ibi visuros esse, quos amaverant, et cum iis versaturos, ita ille multo magis etiam, quum sapientiam diligat et in eandem venerit spem tantum non certissimam, nusquam alibi se eam esse consequuturum, laeto animo illuc transeat. Quin etiam si quem videbimus moriendum sibi esse moleste ferentem et sui anxium, manifestum id indicium habebimus, eum non esse sapientiae et virtutis sed corporis, pecuniae, honorum amatorem, fortitudine, justitia, temperantiaque prorsus destitutum. Vera autem virtus videte ne consistat in voluptatum et dolorum, spei et metus et omnium talium affectuum ex corpore natorum purgatione. Quare equidem, quod facere in mysteriis jubemur, omnes contendi nervos, ut expier et purger quam maxime, quod quo modo successerit, cum illuc pervenero, certo intelligam. (Cap. 8—13.)

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

In his praejudicium factum de natura animi. Sumitur enim pro certo, et mortem esse animi a corpore discessum et animam interire non posse. Sed hac assumtione non concessa, neque illa quae inde concluditur stare potest sententia, hominem mortis metu non debere moveri. Itaque restat, ut utrumque illud demonstretur. Atque id jam desiderat Cebes, vereri dicens homines, ne animus ubi deseruerit corpus nusquam jam sit, sed quo die moriatur homo statim et ipse pereat, veluti aura fumusve dissipatus; opus igitur esse demonstratione, superesse animum defuncto etiam homine et vim quandam habere vitalem et intelligentiam. Potuit etiam desiderare, ut ante omnia quid esset animus indicaretur, qua in definitione, tamquam in fundamento suo, tota niti deberet disputatio; sed Socrates id jam nunc illustrare definiendo non potuit. Nondum intellexissent auditores, si animum ideam dixisset illam, quae faceret, ut viveremus; et rectissime, sicut moris ei erat, pravas opiniones apud omnes pervulgatas, esse animum sive ventum sive fumum sive harmoniam, evellere voluit ex amicorum mentibus et confutare, priusquam quid revera esset comprobaretur. Qua in re illud potissimum situm est, quod de artificiosa libri compositione dixi, quum ab iis, quae faciliora sunt intellectu et ad captum communem accommodatiora, paullatim ad altissima quaeque et elegantissima maxime transducamur.

Sequitur igitur primum argumentum pro immortalitate animorum. Multa in rerum natura sibi contraria esse videmus, ut pulchrum foedo, justum injusto et innumerabilia alia. Ea omnia mutuo existere necesse est[4.]) ex iis, quae sibi contraria sunt: ut majus ex minore, minus ex majore, fortius ex debiliore, celerius ex tardiore, pejus ex meliore, justius ex injustiore. Sed *non solum ex contrariis oriuntur contraria sed ratione etiam contraria* i. e. originum rationes, inter duo contraria mediae et interjectae, et ipsae sunt sibi contrariae. Nam majus aliquid fit crescendo, minus decrescendo, et contraria esse dicimus crescere et decrescere. Item secerni et conjungi, frigescere et incalescere. Ita ex vigilia ad somnum transitur obdormiscendo, ex somno ad vigiliam expergiscendo. Tale par rerum est etiam mors et vita, et medias inter utrumque origines moriundi et reviviscendi vocabulis significamus. Jam quum vitae et mortis conditiones noverimus, nec quomodo ex vita ad mortem transeatur ignoremus, si alteram transeundi rationem deesse dicamus, tum hac in re mancam debilemque naturam esse et semel contraria sibi non ita respondere, ut mutuo sit eorum origo, fateamur; quod quomodo fieri possit, non intelligitur, quum inde sequeretur, fieri aliquando debere universae rerum naturae quasi institionem quandam. Itaque ut ex vivis mortuos fieri videmus, ita veteri illi sermoni, ex mortuis fieri vivos, coacti sumus credere, et nasci nihil aliud esse dicemus nisi reviviscere. Negari igitur nequit, rediri ex inferis in vitam, vivos ex mortuis generari, mortuorum existere animas et bonis melius esse, malis pejus.[5.]) (Cap. 14—17.)

Firmari haec Cebeti videntur illo saepius a Socrate pronunciato, *discere idem esse quod reminisci*, unde concludamus necesse, nos superiori quodam tempore ea didicisse, quorum nunc reminiscamur, quod fieri non posset, nisi fuisset alicubi nostra anima, priusquam in hanc humanam formam evaderet. Dum igitur omnem institutionem et disciplinam esse recordationem demonstratur, inde secundum ducitur argumentum pro immortalitate animorum, sic institutum, ut non tantum illud, quod antecedit, perducatur ad finem, sed etiam via muniatur ad alia duo argu-

4.) Necessario id fieri, non ostenditur; sed conclusio facta est, ut dicunt, ex inductione: quum nusquam aliter fieri videamus, inde fieri debere concluditur.

5.) Id additamentum ne putemus nihil ad rem facere, memores simus, Platonem non modo probare voluisse, animas non interire, sed ea potissimum persuasione ad honestam nos traduci vitam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

menta, quae sequuntur. Nam primum Simmias, quum sat quidem sibi probatum esse dicat, animam, antequam nati simus, exstitisse, restare tamen periculum, ne moriente homine simul dissipetur anima et ipsa esse desinat, sibique dimidium ejus, quod oporteat, ostentum esse videri, oportere autem et alterum praeterea ostendi, post mortem non minus fore animam superstitem, quam fuerit ante ortum nostrum: Socrates, non contentus (pag. 77 C.) superiora repetere, in quibus jam concessum erat, quidquid vivat, nasci ex mortuo, non autem timendum, ne quod semel ex mortuo sit ortum, non rursus eadem oriatur ratione; sed ut omnis illa amicis eximatur puerilis mortis tamquam larvae cujusdam terrificae formido, denuo (inde a pag. 78 B.) ad eandem rem diligentius perscrutandam, et, quae sit animae natura, inquirendum se parat. Tum vero in hac ipsa, de qua nunc sermo est, demonstratione imbuit animos et praeparat ad illa, quae postea de ideis est docturus, et peculiaris illius doctrinae jam hic quasi ponit fundamenta.

Ita enim argumentatur.[6.]) Reminisci nos tum dicimus, quum nobis in mentem venit, quod jam antea aliquando scivimus, sed quod excidit ex mente, quae est oblivio. Neque vero si quam rem sive videmus sive audimus sive alio quodam sensu percipimus, hujus rei unius meminimus sed aliae una nec raro permultae animis nostris obversantur, quibus modo propior modo remotior cum illa intercedit conjunctio. Neque eae solum res, quae sub sensus cadant, sed quae aliunde petendae sint, in mentem nobis veniunt. Nam vestitum videntes non tantum hunc jam prius nos vidisse recordamur, sed memores fimus etiam hominis, qui eo usus erat. Et pictam lyram si quis adspexerit, contingit, ut non solum lyrae ipsius sed etiam hominis, qui fidibus cecinit, et ejus amici recordetur. Gignuntur igitur recordationes ex rebus similibus pariter atque ex dissimilibus. Simul autem si quis ex simili re recordatur, accidat necesse est, ut reputet secum, utrum quid huic rei desit similitudinis nec ne, si comparetur cum illa, cujus inde repetita est memoria. Sed multum interest inter res similes sive dissimiles, aequales sive inaequales et inter illud, quod est per se simile sive dissimile, aequale sive inaequale. Eadem ligna, eadem saxa modo aequalia modo inaequalia nobis apparent; ipsa autem similitudo nunquam fit dissimilitudo neque aequalitas inaequalitas. Nihilo minus ex his rebus aequalibus, quamvis sint diversae ab illo per se aequali, hujus tamen simul percipimus notionem; id est, recordamur. Sed nunquam id, quod per se est aequale, neque vidimus neque audivimus neque tetigimus neque alio sensu agnovimus; et tamen ex visis et auditis et tactis intelleximus, ea, quae subjecta sint sensibus, diversa esse ab illo per se aequali et quadam tantum ex parte ad hoc accedere. *Igitur priusquam sensu uti coeperimus (itaque, quum statim post ortum iis utamur, priusquam nati simus), scivisse nos quid sit aequale ipsum necesse est;* neque id solum, sed quid per se magnum et justum et pulchrum et bonum et id genus omnia. Quorum scientiam ante ortum acceptam nisi semper obliti essemus, semper etiam scientes nasceremur et sciremus per totam vitam; id enim est scire, acceptam alicujus rei scientiam tenere neque amisisse. Neque eam nos, dum nascimur, accepisse credibile est, nam quum postea, nisi meminerimus, eam non habeamus, et acceptam et amissam esse uno eodemque tempore necesse esset. Si igitur sunt illa, quae revera esse pro certo et explorato habemus, quibus sola inest essentia, etiam animi fuere ante ortum nostrum. (Cap. 18—22.)

6.) Praeteriens alteram attingit rationem (pag. 73 A.), qua probatur, discere nihil aliud esse nisi recordari; bene enim interroganti homines omnia, quomodo se habeant, respondere, quod, nisi insitae iis essent rerum notiones, nullo modo possent facere; id vero ita esse, si quis ad Geometrica quaedam eos convertat, manifeste comparare. Cf. Menon. pag. 81 B. et Cic. Disp. Tusc. I. 24.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

His duae continentur sententiae gravissimae, quae cur Platonis philosophia Idealismus soleat nominari, luculentissime aperiunt. Primum quum demonstrare conetur, discere nihil esse nisi recordari, manifestum est, illa tantummodo quae discantur et sciantur digna ei videri, quae sunt communia non singularia, quae animo accipiuntur non sensibus corporis, ut quae sola habeant veritatem et essentiam. Itaque vera esse contendit, quae sunt in intellectu, quaecunque autem nisi in sensu non sunt, ea vera esse negat; iis speciem tantum veritatis attribuit; quare ad priora illa omnem referendam esse censet disciplinam. Deinde notiones generales sive universales nasci negat ex perceptionibus rerum sub sensus cadentium, quae est opinio eorum, qui animum quasi ceram (quam recentiores dicebant tabulam rasam) imprimi putant et esse memoriam signatarum rerum in mente *vestigia* (Cf. Cic. Disp. Tusc. I. 25); sed ab initio insitas credit in animo, ita ut a priori vita in hanc vitam eas secum ferant homines, et visu, auditu, tactu, odoratu et gustatu sibi tantum revocent.

Sed postquam monuit juvenes, ut, neque opibus neque laboribus parcentes, quum nihil esset, in quod majore emolumento consumerentur, ne cessarent quotidie lenire metum mortis puerilem et philosophando mederi animo vexato, dum sanus redderetur, tertium jam sequitur argumentum pro immortalitate animarum. Sciscitandum est, quibusnam rebus conveniat illud dissipari et dissolvi, quod ne accidat animae vulgo timent, et quibusnam non conveniat; tum qualis sit anima. Jam omnibus rebus compositis id natura convenire videtur, ut dissolvantur; si qua vero non sit composita, ejus nulla esse posse dissolutio. Ea autem ne mutabilis quidem erit sed eandem semper formam servabit, ipsi semper sibi par manebit; contra eas, quae alias aliter se habeant, neque unquam sibi constent, compositas esse cognoscemus. Hujus generis sunt omnes res singulae, sub sensus cadentes, quae non modo mutabiles se ostendunt sed nunquam non mutantur; at contra quibus solis essentiam attribuimus, illae nullam unquam suscipientes vicissitudinem, simplices, semper eodem modo se habent. Igitur dici potest, dissolvi posse et mortalia esse ea, quae sunt composita s. mutabilia s. visui objecta, ea autem, quae sunt simplicia, immutabilia, quae cerni nequeunt, et esse divina et dissolvi non posse. Jam duabus constamus partibus sanequam dissimillimis, corpore et anima. Illud cernimus; haec, si quidem ad hominis naturam spectamus, cerni omnino non potest. *Ergo anima rei divinae similior esse videtur, corpus mortali.* — Praeterea supra jam concessimus, si per se inque semet ipsam collecta anima conetur aeterna illa, non mutabilia adspicere, magis ei succedere, ut ea attingat, sin corpus socium assumat, semper eam conturbari et ad illa aberrare, quae alias aliter se habeant. His quoque apparet, eam majorem habere cognationem cum rebus divinis quam cum illis, quae his sunt oppositae. — Porro dubium esse non potest, quin divino cuique obveniat, ut dominetur, mortali, ut obsequatur; quare quum animam regnantem semper et corpus serviens videamus, ea quoque ratione efficitur, ut anima divino propior sit, corpus mortali. — Quae quum ita sint, probabile est, corpus quam celerrime dissolvi, animam quam diutissime manere. Sed vel corpora ipsa quum aut tota, si Aegyptiorum more condiantur, aut certe partes quaedam eorum incredibile quantum temporis durent, animamne, ubi a corpore liberata hinc in alterum locum sui similem, qui non venit sub oculorum mortalium adspectum evolaverit, statim dissolvi atque interire? Tantum abest, ut id credamus, ut eam, si nihil in vita cum corpore communicaverit, omnibus malis humanis solutam ad deos bonos sapientesque esse migraturam confidamus, sin infecta adhuc sit corporis contagione, vitae improbae poenas daturam ac rursus corpus aliquod moribus suis con-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

veniens induturam.[7]) Quare id philosopho vero enitendum, ut omnibus voluptatibus et perturbationibus abstineat, animam corpori affigentibus, quod cui prospere cesserit, is non pendebit, neque timore exercebitur, ne corpore derelicto intereat anima dissipata neve usquam amplius sit. (Cap. 23—34.) —

Non immerito multi dialogos Platonicos tragoediis comparaverunt et aliis de causis et quod media saepe in actione insistitur quodammodo et inopinati aliquid accidit, quo aliquamdiu suspensa tenetur expectatio, ita tamen, ut posthac eo citius procedatur ad exitum praemeditatum. Hanc artem nunc a Platone adhibitam invenimus. Longo enim, postquam illa dixit Socrates, facto silentio in cogitandis iis, quae disputata erant, ipse ille defixus est et auditorum plerique. Cebeti autem et Simmiae restat adhuc aliquid dubitationis, sed verentur, ne interrogando Socrati molestiam afferant. Quibus ille, quam difficile, inquit, aliis persuaderem hominibus, hanc meam fortunam non adversam esse ducendam, quum ne vobis quidem possim persuadere, sed vereamini, ne morosiorem nunc me praebeam, quam fuerim in vita superiori. Equidem quum cygnorum, qui, quum eis moriendum est, cantant gavisi, quod jam ad Apollinem migraturi sint, conservum me habeam atque eidem deo consecratum, neque deteriorem ab illo accepisse confido divinandi artem neque ignavius e vita decedam. Quare libere dicite, quid sit, in quo adhuc haesitetis.

Tum Simmias: Quidquid nunc de anima et corpore dictum est, non minus de harmonia et lyra dici potest. Illa enim cerni nequit, incorporalis est, perpulchra et divina. haec corporalis, composita, terrestris et mortali simillima; unde concludere possimus, discissis fidibus et fracta lyra, cum partes ejus aliquantum temporis durent, multo magis harmoniam esse duraturam et paene immortalem fore. Quod quia non ita esse intelligimus, si quis[8]) animam dicat esse harmoniam quandam ex intento quasi corpore et justa in eo caloris et frigoris, siccitatis et humoris temperantia enatam, vide ne efficiatur, ubi corpus nostrum morbis aliisque malis nimis vel remissum vel intentum ac postremo dissolutum fuerit, illico eam, quamvis corpore diviniorem et pulchriorem, necessario esse perituram. (Cap. 35. 36.)

Cebes contra concedi quidem Socrati posse arbitratur, et ante fuisse animas, quam formas humanas induerint et superstites aliquamdiu esse ut validiores et diuturniores corporibus, sed inde nondum sequi, eas esse immortales, restare enim adhuc incertum, an non multis et

---

7.) Quae non uno hoc loco de metempsychosi commemorantur, ex Pythagorae disciplina profecta esse, satis constat; neque est, quod exponam, si quis tale quid conetur demonstrare, plurimis eum irretiri difficultatibus fere inextricabilibus. Sed Plato modo leviter eam rem tangit iisque videtur adnumerare, de quibus nihil asseverandum viro prudenti (pag. 114 D.). Id moneo, non quo defendam philosophum, cujus de argumentationis firmitate judicium facere omnino non meum esse puto, sed ne reticendo ipse aliquam ejus debilitatem celasse videar. Ceterum ne Pythagoras quidem ipse ita serio, ut vulgo creditur, rem asseruisse videtur.

8.) Jure monet Stallb. Simmiam hanc sententiam ita commemorare, ut eam significet esse pervulgatam neque certae alicui philosophorum familiae propriam. Pythagoras quidem virtutem harmoniam esse dixit, animum autem (per naturam rerum omnium intentum et commeantem Cic. de nat. deor. I. 11.), auctore Aristotele, numerum se ipsum moventem. Inde igitur ductum videri potest illud argumentum, quod in Phaedro pag. 245 C. legimus, bis a Cicerone (Disp. Tusc. I. 23. et de Rep. VI) translatum. Aliquot vero post saeculis Aristoxenus musicus animam esse dixit ipsius corporis intentionem quandam; velut in cantu et fidibus quae harmonia dicitur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri, tamquam in cantu sonos. Cic. Disp. Tusc. I. 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

saepius consumtis corporibus, tamquam vestibus,[9]) anima, postremum corpus relinquens, tandem et ipsa intereat atque id ipsum sit mors, *animae interitus*, si quidem corpus continuo conteratur nec desinat semper mori. (Cap. 37.)

His contradictis mirum in modum perturbati auditores non modo illis, quae antea dicta erant, sed ne eis quidem, quae insuper dici possent, fidem habendam, et indignos se, qui de veritate judicarent, vel res ipsas improbabiles esse putaverunt. Ita non solum transitus paratur ad ultimum idque gravissimum argumentum pro immortalitate nostra, sed utitur Socrates etiam ea opportunitate, ut admoneat juvenes, caveant, ne rationis atque orationis fiant osores, quo quis majus malum pati possit nullum. Nonne enim, interrogat, miserandum malum, si quis, etiamsi sit vera quaedam et certa ratio et quae possit comprehendi, tamen, quia in ejusmodi rationes inciderit, quae, quum ipsae eaedem maneant, modo verae videntur modo falsae, non ipsum se accuset nec suam ipsius inertiam sed postremo indignabundus libenter in rationes a se culpam transferat et jam per reliquam vitam odiis et conviciis rationes perpetuo consectetur, rerum autem veritate et cognitione privetur? Eodem igitur hic locus pertinet, quo ille in initio dialogi positus, ut Socratis exemplo ostendatur viri sapientis natura, qui non dicis causa atque eo consilio disputat, ut aliis vera proposuisse videatur, et suam opinionem pertinaciter neque urbane defendit, sed id naviter agit, ut ipsi sibi quid sit verum appareat. Neque contentus, veritatis amorem prae se ferre, *sic ei toto pectore deditus est, ut alius rei curam habeat nullam, atque ei uni anquirendae indefessus studeat.* Quare ejus arbitratu discere praestat quam docere. (Cap. 38—40.)

Quibus praemissis ad Simmiam conversus, si illa, inquit, stet sententia supra de recordatione lata, eo jam anima differt ab harmonia, quod illa fuisse antequam in humanam devenerit formam, credenda, haec nisi post lyram et fides et sonos adhuc inconcinnos nulla est. — Sed ne rem temere absolvisse videatur, quid sit harmonia quaerit. Esse autem dicit rem compositam (variam nimirum sonorum compositionem; qui ipsi ex varia nervorum intentione efficiuntur). Sed nulli compositioni nec contra aliquid facere vel pati neque omnino aliter se habere convenit atque composita est. Igitur neque harmoniam ducere illa dicemus, ex quibus constet et pendeat, sed sequi; eatenus esse harmoniam, quatenus illa sint temperata, ita ut variae harmoniae gradu inter se differant non tamen oppositas sibi habeant affectiones. Quae omnia in animam non quadrant. Ea enim primum adeo non pendet ex corpore ejusque cupiditatibus, ut eis, praesertim quum sit prudens, repugnet quam saepissime et superiorem se esse ostendat, dum illud nihil perficere potest, nisi assentiente anima, quae tam libere regat corpus, ut quidquam multo divinius esse appareat, quam quod comparetur cum harmonia. Tum vero etiam alteram animam habere dicimus prudentiam virtutemque et esse bonam, alteram habere stultitiam vitiumque et esse malam. Quid igitur dicamus haec esse in anima, virtutem et vitium? an aliam nescio quam harmoniam et disharmoniam? ita ut unam harmoniam concedamus habere in se harmoniam et esse bene temperatam; alteram non habere et male temperatam itaque sibi ipsi esse contrariam? Non secus laqueos hos, quibus irretitos nos videmus, enodare possimus, nisi rejecta illa cum harmonia animae comparatione.[10]) (Cap. 41—43.)

9.) Subtilis est Schleiermacheri conjectura, haec contra metempsychosin Pythagoreorum dicta esse, qui transmigratione animorum assumta immortalitatem demonstrasse sibi videbantur, ideoque, ut supra querebatur (pag. 61 E.), nihil certi hac de re proferre poterant. Platonem igitur (nam Socratem non recte dixeris) non solum Anaxagora aliisque philosophis verum etiam Pythagora ulteriora petisse patet.

10.) Nisi neutra castra sequi nos decere putaremus, facile Simmiae succurrere possemus, nam haec, si qua alia infirma esse videntur Socratis argumenta. Neque aperte quid sit harmonia indicatur, nec statim conceden-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cebeti autem tam valde haec arrident contra harmoniam disputata, ut jam non dubitet, quin Socrates etiam illa, quae a se sint opposita, facile sit victurus. Socrates vero vetat eum magnifice loqui et nimiam habere fiduciam: agi enim nunc de re gravissima, et cum ei divina et pervalida animae vis non videatur impedimento esse, quominus, tametsi incredibile quantum tempus ante nos fuerit et viderit egeritque permulta, sit tamen mortalis, atque hic ipse ejus in corpus nostrum ingressus quasi morbus posse haberi et initium interitus — quaerendum jam esse in universum, quae sint causae cujusvis rei, per quas oriatur et intereat et existat. Hujus scientiae, inquit, jam juvenis tam cupidus fui, ut alacri studio me applicarem ad naturae, quam vocant, investigationem. Sed nihil mihi satisfecerunt philosophi his de rebus disserentes, qui alii alia rerum statuentes principia et pars ex calidi et frigidi compositione animalia crescere pars sanguinem vel cerebrum vel aërem vel ignem vel simile quid facere contendentes, ut vivamus et sentiamus, tanto opere me perturbabant, ut ad talia consideranda postremo plane hebes mihi viderer. Tum vero cum Anaxagoram audirem docere, mentem cunctarum rerum naturam exornare ejusque causam esse, vehementer gavisus sum, praeclarissimum a me magistrum inventum esse ratus, quum, qui mentem dicat omnium esse causam, facere non possit, quin omnia, uti sint, sic optime esse facta demonstret. Fore igitur speravi ut discerem, quid in quaque re optimum esset et cur ita esse deberet, i. e. causam et necessitatem. Sed perlecto ejus libro mirabili hac spe dejectum me vidi, nam non mente illum uti intellexi ad res exornandas sed aëre, aqua aliisque multis rebus, quae non causae sunt rerum et actionum, sed instrumenta et subsidia; quasi quis, volens cur quis sedeat explicare, non arbitrium ejus aliamve necessitatem sed corporis habitum sedendi causam esse dicat. (Cap. 44—48.)

In summas has angustias adductus, omni spe aliorum opera causas discendi ademta, denuo rem aggrediendam esse censet Socrates, [11.]) non vero rerum naturam ex effectis et operibus, quae oculis cernuntur, sed rationibus et animo solo adspiciendam et inveniendam. Jam quum intelligam, inquit, quod negari non posse et alias semper et in superiori disputatione concessimus, esse aliquid ipsum per se pulchrum et bonum et magnum et caetera omnia, eaque diversa a re-

---

dum est, animam semper dominari corpori, quare ipse caute addit ἄλλως τε καὶ φρόνιμον, et quaeri potest, unde corpori, quod anima destitutum nihil sentiat aut agat, venerint affectus et cupiditates, nisi ex anima, ita ut rectius ea ipsi sibi, pars parti, dicatur imperare vel parere. Certe nonnulla in hac dialogi parte carent perspicuitate, imprimis ea, quae pag. 93 B. leguntur, quae equidem non pro argumento ipso, animum non esse harmoniam, habeo, ut Stallbaumius, sed pro fundamento duorum argumentorum sequentium.

11.) Vel potius Plato. Is enim haud dubie non de Socratis sed de suae eruditionis curriculo hic refert, *unde intelligatur, quomodo ad doctrinam sibi peculiarem progressus sit;* quam non Socrati deberi, quis est, qui nesciat? Quamquam nihil Socratem de Jonicorum et Anaxagorae doctrina cognovisse non credo. F. A. Wolfio quidem: „Qui paullo attentius tempora spectat, quibus Socrates se excolebat, is jam cogitur conjicere, illum multos per annos in Ionicorum, Pythagorae, Eleaticorum, Heracliti aliorumque disciplinis debuisse elaborare, priusquam in decanta sua inscitia acquiesceret“ asserenti non possum assentire, et recte F. K. Hermannus illam conjecturam historiae auctoritate parum putat esse confirmatam. At videat idem vir doctus, ne justo audacius omnem Jonicae et Anaxagoreae philosophiae cognitionem ab Socrate abjudicet. Qui si in Xenophontis Symposio αὐτουργὸς τῆς φιλοσοφίας nominatur, iis tantum opponitur, qui pecunia soluta sapientiam a sophistis sibi redimunt. Idem auctor est (Mem. Socr. I. 6, 14) Socratem veterum virorum sapientium libros evolvisse; et quominus σοφοὺς ibi dici putemus non nisi poëtas, prohibent ea, quae antecedunt. Quomodo autem justissimus iste vir tam acriter perstringere poterat Anaxagoram (Ib. IV. 7, 6), nisi, quid ab eo doceretur, habuisset perspectum? Nec mirum igitur, quod, hac doctrina, deorum contemtrice, jam dudum rejecta, in Apologia omnem sui cum illo philosopho respuit comparationem.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cebeti autem tam valde haec arrident contra harmoniam disputata, ut jam non dubitet, quin Socrates etiam illa, quae s. Socrates vero vetat eum magnifice loqui et nimiam haber vissima, et cum ei divina et pervalida animae vis non videat tsi incredibile quantum tempus ante nos fuerit et viderit e , atque hic ipse ejus in corpus nostrum ingressus quasi mo — quaerendum jam esse in universum, quae sint causae cu eat et existat. Hujus scientiae, inquit, jam juvenis tam c arem ad naturae, quam vocant, investigationem. Sed nil e rebus disserentes, qui alii alia rerum statuentes principia tione animalia crescere pars sanguinem vel cerebrum vel aër contendentes, ut vivamus et sentiamus, tanto opere me pert stremo plane hebes mihi viderer. Tum vero cum Anaxago rum rerum naturam exornare ejusque causam esse, vehement me magistrum inventum esse ratus, quum, qui mentem dicat sit, quin omnia, uti sint, sic optime esse facta demonstret. Fo quaque re optimum esset et cur ita esse deberet, i. e. caus us libro mirabili hac spe dejectum me vidi, nam non men las sed aëre, aqua aliisque multis rebus, quae non causae enta et subsidia; quasi quis, volens cur quis sedeat explicare sitatem sed corporis habitum sedendi causam esse dicat (Ca

In summas has angustias usas discendi ademta, denuo rem aggrediendam esse censet ram ex effectis et operibus, quae oculis cernuntur, sed ratio nveniendam. Jam quum intelligam, inquit, quod negari n ori disputatione concessimus, esse aliquid ipsum per se pulchr omnia, eaque diversa a re-

dum est, animam semper dom τε καὶ φρόνιμον, et quaeri potest, unde corpori, quod ani t affectus et cupiditates, nisi ex anima, ita ut rectius ea ipsi e. Certe nonnulla in hac dialogi parte carent perspicuitate, im equidem non pro argumento ipso, animum non esse harmoniam, duorum argumentorum sequentium.

11.) Vel potius Plato. Is enim ha onis curriculo hic refert, *unde intelligatur, quomodo ad doctr* non Socrati deberi, quis est, qui nesciat? Quamquam nihil So na cognovisse non credo. F. A. Wolfio quidem: „Qui paullo se excolebat, is jam cogitur conjicere, illum multos per anno eracliti aliorumque disciplinis debuisse elaborare, priusquam i ti non possum assentire, et recte F. K. Hermannus illam conjec confirmatam. At videat idem vir doctus, ne justo audacius on cognitionem ab Socrate abjudicet. Qui si in Xenophontis Sympos is tantum opponitur, qui pecunia soluta sapientiam a sophistis I. 6, 14) Socratem veterum virorum sapientium libros evolviss nisi poëtas, prohibent ea, quae antecedunt. Quomodo autem j oterat Anaxagoram (Ib. IV. 7, 6), nisi, quid ab eo doceretur, h d, hac doctrina, deorum contemtrice, jam dudum rejecta, in puit comparationem.

© The Tiffen Company, 2007
TIFFEN Gray Scale
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19
R G B W G K C Y M

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

bus pulchris et bonis et magnis: si quis quaerat, quare quidquam pulchrum sit, non dico, quod colorem habeat floridum et formam et similia, sed simpliciter sine arte et nescio an stulte respondeo, nihil aliud rem quandam pulchram facere nisi illius per se pulchri sive praesentiam sive communionem. [12.]) Eodem modo majorem rem quandam esse et minorem non dicemus capite, sed ipsa magnitudine et parvitate; nec decem plura esse quam octo duobus, et propter duo illa unum numerum alterum superare, sed multitudine et propter multitudinem. Quod si tenebimus, exstare ideas illas per se, et quaecunque eorum nomine appellentur, propterea quod earum sint participes, id nomen accipere, nunquam causis aliunde petitis turbati a recta via aberrabimus. Nec solum exstant per se sed semper sibi constant neque ulla earum in contrariam verti potest. Supra quidem cognovimus, ex rebus contrariis fieri contrarias, ut minores ex majoribus; nunc vero de ideis, veris iisque immutabilibus essentiis, sermo est, et quin magnitudo ipsa vertatur in ipsam parvitatem, fieri non posse intelligitur. Ac si major quaedam res minor fit, res quidem vertitur, non vero idea s. species, sed recedit magnitudo ex illa re et permutatur parvitate in locum ejus succedente. Verumtamen alias res invenimus ejusmodi, quae, quum non sint sibi contrariae, habeant tamen in se contraria et ne ipsae quidem ita verti possint, ut recipiant speciem, ei speciei, quam in se habent, oppositam; sed, si quando species illa opposita accedat, aut subterfugiant illico aut prorsus exstinguantur. Sic nix non quidem igni opposita est, sed adeo frigidum semper ei adhaeret, ut, si calidum, quod frigido oppositum est, accedat, nivi aut alio decedendum sit aut intereundum; nec minus igni, frigore adventante. Simili ratione quae sunt tria non solum numeri hujus ternarii sed etiam imparis speciem in se habent neque unquam paris speciem illi contrariam in se admittunt. Sunt igitur etiam ideae, quae efficiunt, ut res, quibus nomina sua imponunt, non solum sui sint participes, sed alteram simul suscipiant ideam, cui contrariam nunquam admittant; immo, si haec contraria accedat, vel in alium locum se subducant vel pereant; quia ideae ipsae contrarium ejus, quod efficiunt, in se non admittunt. Sicuti monas facit non solum ut res quaedam fiat una, sed etiam ut impar neve unquam par fieri queat, quod ipsa fieri non potest. *Eae autem ideae verae sunt rerum causae;* neque posthac, si quis quaerat, quid faciat, ut res sit calida, indocte, ut supra, calorem, sed politius nec minus tuto, ignem respondebimus, qui nunquam potest esse frigidus; neque aegrum fieri dicemus aegritudine sed febri, quae nunquam se conjungere potest cum sanitate. Hujuscemodi species est etiam anima; et, si quaeratur ex nobis, quid faciat, ut homo vivat, non dicemus vitam sed animam. Vitae autem opposita est mors. *Itaque anima et efficit, ut, quamdiu in corpore insidet, mors ad id accedere nequeat, neque ipsa unquam morti aditum in se concedere potest;* immortalis igitur est. Supra quidem diximus, nivem, si ignis accedat, calorem secum ferens, aut subterfugere debere aut deleri, nec quidquam impedit, quin nix deleatur, ei enim non oppositum est delebile; sed animam dissolvi posse negamus, quia mortem i. e. dissolutionem sibi oppositam habet. Igitur si mors, cui id ipsum indelebile et indissolubile oppositum est, ad hominem accedat, eam tantum partem, quae deleri potest, interire, animam vero sospitem se subducere et alio aufugere confitebimur. (Cap. 49—56).

His rationibus animum esse immortalem Socrates persuasum habet, quas ut pro magnitudine rei et imbecillitate humana iterum iterumque considerent juvenes cohortatur. Sed Platoni

12.) Ambigit enim, quo potius vocabulo idearum cum rebus singularibus conjunctionem significet; quia, quomodo fiat illa (quae est animae cum corpore) conjunctio, nescit. Quod nescivisse non opprobrio ei vertemus, hanc quaestionem semper philosophorum crucem fuisse, non ignorantes.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

haec nondum sufficiunt ad consilium suum exsequendum, ut jam finem facere possit disputationi. Sapientis enim viri est non tantum scire, sed quaedam etiam, quae sciri non posse intelligit, non sine aliqua probabili conjectura sperare, et ita agere considerate, ut nec vanam esse fictamque scientiam suam nec spem infirmam cognoscatur. Duo igitur restant, quae ne desiderentur in epilogo afferuntur: et primum quidem Socrates quae sperat de vita futura proponit: deinde autem, quomodo mortuus sit et morte ipsa doctrinam spemque confirmaverit suam, refertur. — Quis vero est, qui quae sit defunctorum vita possit ratione illustrare? Itaque ad fabulam confugit et quae vulgo his de rebus circumferebantur, paullum ex sua sententia immutata, interpretatur. Cujus narrationis extremum [13.]) hoc est. Tres sunt terrae regiones, quarum et situ et munditia mediam viventes nos incolimus, in alteram, admodum sordidam et lutulentam, ut poenas luant sensimque purgentur, impiorum manes detruduntur, tertiam, multo eam lautiorem et splendidiorem, quam quae describi possit, pii ascendunt homines. Eo igitur se venturum esse sperans, qui nihil ad virtutem sapientiamque assequendam sibi reliqui fecerit, tranquille fatum exspectabit. (Cap. 57—63.) Qua oratione finita, postquam nihil se habere, quod mandaret amicis, nisi ut sui semper curam haberent, dixit, et Critoni, quomodo sepeliri vellet, quaerenti, non se sed corpus suum sepultum iri, quod qua ratione fieret, sua nihil referre, respondit, lavaturus in cubiculum quoddam abiit. Deinde lotus quum rediisset, non multa locutus, intrepide et hilariter nec colore nec vultu mutato sumsit et bibit cicutam. Tum vero amici non potuerunt sibi temperare, quin lacrimae diu cohibitae prorumperent; et prae ceteris Apollodorus tam immodicos fletus effudit et singultus, ut cogeretur Socrates eos monere ne effeminate se gererent; lingua enim et animo favendum esse decedenti. Appropinquante denique morte: Aesculapio, inquit, (quae ei extrema vox fuit) gallum debemus; quem reddere ne negligatis! (Cap. 64—67.) „Egregie haec! ait Stallbaumius; solebant enim aegroti, recuperata valetudine, Aesculapio immolare gallum. Itaque Socrates indicare his verbis voluit, se nunc demum, solutis corporis vinculis, veram salutem esse consequuturum.“ Simul autem videant Socratis calumniatores, quo jure eum dicant patrios contemsisse deos, qui usque ad extremum spiritum (quum neque ad jocum proclivis esse posset nec simulatione opus esset) quae iis deberetur reverentia memor fuerit.

13.) Nam singula, satis illa difficilia, enucleare, non possum et si possem, hic tamen non necesse videretur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf